POGGII FLORENTINI
Oratio in Funere
FRANCISCI ZABARELLÆ
PATRICII PATAVINI,

Eminentiſsimi Iuris Vtriuſque Interpretis, & S. R. E.
Cardinalis Florentini,

Habita
In Concilio Conſtantienſi
An. MCCCCXVII.



PATAVII, MDCLV.

Typis Pauli Frambotti Bibliop. *Superiorum Permiſſu.*

POGGII FLORENTINI ORATIO IN FVNERE, FRANCISCI ZABARELLÆ CARDINALIS.

ETsi plurimo luctu doloreque impediorq; P. C. quem ex optimi præstantissimique Viri morte vobiscum suscipio: tamen non doloris tantum, quantum officij rationem me habere oportet. Celebratur hodie funus hominis Sanctissimi optimeq; de Deo meriti, de cuius gloria ac dignitate, si hoc in loco nihil dicerem, vereor ne ingrati nomẽ subirem. Itaq; in publicũ munus, quod extremum a nobis mortuo præstatur, existimaui mihi etiam priuatum aliquid honoris esse adiiciendum: in quo si vobis minime satisfecero, non quid illius amplitudini, quæ maxima est, debetur, sed quid facultas mea dicendo consequi possit, animum quæso aduertite. Illud enim arbitratus sum, cùm hæc quæ in mentem veniunt paucis recensui, non & sati facturum me desiderio meo, & simul quasi materiam quandam præbiturum reliquis maiora atque ampliora quædam dicendi. Non enim vsitato genere orationis, non mediocri eloquentia virtus sua contenta est, sed postulat excellens ingenium, atq; exquisitum, & eximium quidem dicendi genus. Nam per immortalis Dei religionem, cuius hic fuit propugnator acerrimus, quis nisi singulari ingenio & eloquentia

pene diuina illius possit in omni vita laudes non solum ornare verbis, sed enumeratione complecti? Multos vidi, multos cognoui ipse ætatis meæ excellentes viros, qui præditi essent vna quapiam virtute singulari: in quo viro omnes virtutes omnem vim suam expressissent, præter hunc cognoui neminem. Nam siue studia doctrinæ, & omnem scientiam rerum, quam sapientiam vocant, siue prudentiam, humanitatem, fortitudinem, liberalitatem, grauitatem morum quæsieris, & vitæ integritatem, proculdubio nullus cum hoc Viro (pace aliorum dixerem) ne longo quidem interuallo comparandus. Quare a vobis P.C. peto, vt cum pauca de ipsius vita & moribus, prout tempus fert, dixero, me de virtutibus eius dicentem benigne sicut cæpistis attentique audiatis.

Ortus est FRANCISCVS *ex Patauio, vt scitis Vrbe inter Italas longe insigni ex Nobili Familia Zabarella ab antiquis Bononiæ Sabatinis oriunda, Parentibus honestissimis, ac se dignis; quorum diligentia, ac præcipue Laurentij Patrui religiosissimi Præsulis studiosanćte domi enutritus cum primum per ætatem licuit sponte sua totum se litteris dedit. Et cum varia essent eorũ genera discendi, in quibus multa cum laude posset versari; tamen præclarissimum atque vtilissimam vitæ mortalium cum videret Iuris scientiam, ac legum: omnem suam curam ad illas conuertit, atque in eis ita excellens euasit, vt non solum nostri sed superioris temporis homines longe anteiret. Nec alia tamen studia neglexit. Nam propter acumen mentis, atque ingenij addidit quoque ad legum scientiam etiam reliquarum artium cognitionem. Adolescentiam tanta modestia composuit, vt iuuenili ætate auctoritatem obtineret senum: Lasciuias omnes & blandimenta corporis, quæ illa secum fert*

ætas

ætas adeo est aspernatus, vt perpetuam elegerit seruaueritq; castitatem: in quo non mortalium sed cælestium imitatus est naturam. Cum verò ad virilem ætatem peruenisset, existimans non solum sibi se natum esse, sed procreatum quoque ad vtilitatem cæterorum, palam cepit docere, non tam quæstus gratia, quam semper ipse contemsit ac pro nihilo habuit, quàm officij & communis vtilitatis, quo laborum suorum fructus ad multos perueniret. Igitur ex ipsius schola velut ex vltimo fonte sapientiæ innumerabiles Præclarissimi viri exesse-re. Concurrebant enim ad eum vndique ex toto terrarum orbe, qui recte sapere volebant: quia non solum notitia legum apud ipsum erat satis, sed quod est egregium vitæ exemplo intuebantur. Natus enim ad decus, & honestatem vir sanctissimus in primis habuit præcipuam curam virtutis colendæ, nec minorem vitæ bene agendæ rationem habuit quam comparandæ doctrinæ. Summa integritas, continentia, grauitas, vitæque moderatio adeo in omni vita decorum illud seruauit, vt ne leue quidem dictum factumue in eo reperiatur indignum viro bono, & graui. Natura fuit clemens, vt qui nihil tam obliuisceretur, quam iniuriarum. Mores faciles, ad lenitatem proni. Nam seueritatem magis ex disciplina contraxerat, quam natura. Benignitate atque humanitate fuit tanta, vt omnium videretur quasi communis parens. Patuit semper ad eum aditus etiam minimis: Audiebat benigne omnes: comiter respondebat. Vultu erat grauis, sed cui inerat multa vrbanitas. Sermone lepido, ac facundo, quo usque adeo delectabatur, vt ex eius ore melle dulcior (sicut de Nestore inquit Homerus) fluere videretur oratio. Amauit persæpe facetias ac iocos verborum animi relaxandi gratia

Nam

Nam vel ludendi vel exercendi corporis nullam habuit curam præterquam luctæ, cui in adolescentia ad valetudinem aliquando idque modicè indulsit. Beneuolentiam in discipulos suos tantam ostendit, vt quos videret pronos ad virtutem (nam vitiorum hostem se præbuit acerrimum) haberet loco filiorum, quos fouebat erudiebatque non secus, ac boni frugique parentes solent. Quod autem meo iudicio plurimum existimandum est, simplex fuit, & apertus, nullius rei simulator aut dissimulator, sed cultor veritatis. Vnde illud Socratis semper in se habuit. Facile homines ad virtutem euasuros, si tales esse conarentur, quales vellent videri. *Cibi fuit parcissimus, & modici somni. Nam lucubrabat assidue lectioni intentus. Tempus enim per socordiam diffluere non sinebat. Præter hæc disputabat frequenter in scholis ingenii acuendi gratia. Quo studio & diligentia incredibili est rerum omnium scientiam consequutus. In hoc otio & vita diutius versabatur, cùm eius nomen longe lateque ferretur. Erat autem ingenii, tum prudentiæ, tum probitatis suæ constans fama. Eum etiam qui nunquam cum vidissent ad se diligendum alliciebat. Igitur pellectus est Ioannes* XXIII. *qui tunc erat Pont. Max. vt eum nequiquam tale exspectantem præficeret Ecclesiæ Florentinæ, Ecclesiæ inquam eius vrbis, quæ inter cæteras potissimum floreret, vt non tam Episcopi nomine eum cohonestare velle videretur, quàm titulo magnificentissimæ Ciuitatis: cui adeo charus fuit, vt nunc quoque* Francisci *Episcopi nomen sit celeberimum. Inde considerans Pontifex non satis esse factum vel virtuti illius vel hominum conceptæ opinioni, ipsum Cardinalem appellauit Florentinum. Et quod multi precibus, diuitiis, ambitione, quidam nobilitate, &*

vir-

virtute maiorum nonnulli nomine ad ipiſcuntur; hic virtute propria adeptus eſt, cùm hanc tam inſignem dignitatem nullius interceſsione ultro ad eum Pontif. detuliſſet. Nam in quo virtus erat, reliqua viro omnia adeſse putabantur. Non enim poſtulantibus amicis, non patriæ quærenti, non imaginibus maiorum (etſi tot & haberet ſuorum imagines) non opibus tributum eſt decus illius honoris, ſed ſapientiæ, virtuti, & ſanctiſsimæ vitæ, quibus tunc Romana Eccleſia permaxime indigebat. Magna laus acceſsit Pontifici, cùm intelligerent hominis in virum bene meritum (quod raro admodum, videmus fieri) collatum eſſe ampliſsimam dignitatem. Nulli poſtulanti denegauit: Inuitabat quoque ſæpius ad petendum quos ſuſpicabatur indigere, ſe ipſum defraudans & vitam ſuam, ut ſuſtentaret inopes. Non enim abundabat magnis opibus, ut ſcitis, ſed caritate & miſericordia, quibus eos quæ dicuntur ditiſsimi ſuperauit. Nullam rem magis deteſtabatur quàm auaritiam, quam malorum ſemen omnium & cauſam eſſe dicebat. Illamque Ciceronis ſententiam uſurpabat ſæpiſsime. Nihil eſſe tam anguſti animi quam amare diuitias, nihil honeſtius magnificentiuſque quam pecuniam contemnere, ſi nō habeas: ſi habeas, ad liberalitatem beneficentiamque conferre. *Græcorum etiam prouerbio vtebatur.* Amicorum omnia communia. *Itaque erat quaſi aſylum, ad quod pauperes omnes honeſti confugiebant. Nam in referenda quidem gratia fuit diligentiſsimus; imitatus agros fertiles, qui plus ſemper reddunt quàm acceperunt. Iam vero modeſtia morum, victus temperantia, continentia vitæ ita in eo vigebant, vt nunquam ne paruula quidem nota eius famam labefactarit. Sobrietas peculiaris erat; domus ſuæ fru-*

gali-

galitatem magistram, & ducem habuit composite viuendi: non sumptuosis conuiuiis operam dabat, non indulgebat diuitiis, non luxui sed temperantiæ, & moderationi. Vtebatur quidem victu ornato, sed communi, paucis erat contentus, & his qui essent ad naturæ sustentationem: non arbitrabatur se natum ad pactum, & seruitutem ventris, ut plerosque ex maioribus vidimus, sed ad laudem, & gloriam, & honestatem. Voluptates autem corporis (quas Plato malorum escas appellat) exhorruerat in omni vita tanquam exitialem, & perniciosam pestem. Nam oris moderantiam, grauitatemque tantam seruauit, ut nullum verbum ex eo prodierit non graue, non plenum honestatis, non dignum summæ auctoritatis viro. Attendite nunc ad eam quæso, quam vos ipsi aperte conspexistis fortitudinem animi, & constantiam. Nam si fortis est & constantis viri, non perturbari rebus asperis, sed prudenti animo vti & consilio, ut sapientes volunt, quis eo fortior constantiorque reperietur? Qui nullum horruit discrimen, nullum subterfugit periculum, nullam vim existimauit, ne tunc quidem cùm multi timerent, quo minus mente imperterrita constans & firmus esset in his rebus, quæ sibi honestæ videbantur: metus sæpe iniectus est, numquam tamen ad eum peruenit. Homo ita erat ad virtutem institutus, ut nec flecti precibus, neque terrore ab recta sententia posset disturbari. Mitto cetera multa, quæ longum esset referre. Quid ille paulo ante nobis inspectantibus fecit? Mementote illius turbulentissimi diei P.C. & eum ponite ante oculos vestros illius temporis, ut vere dicam tumultum, cùm frequentes omnium ætatum, ordinum, nationum homines in illam concionem conuenissent: reuocate animis vestris grauitatem rei (de suprema eius salute agebatur)

tur)

tur) dissensiones, & varias multorum sententias, nonnullorum trepidationem. Quis enim fuit vultus ? Quanta significatio animi & constantiæ ? Qualis illa oratio ? quam plena dignitatis, & prudentiæ ? Cum nunc moneret, nunc hortaretur, nunc acriter obiurgaret eos, quorum opera hi discordiarum fluctus excitabantur. Stupebant omnes, admirabantur tantam vim dicendi fuisse in eo, quem propter aduersam valetudinem vix loqui posse credebant. Cygnea vox illa fuit, & futuræ mortis præsagium Nam dixit luculentius, quam antea vnquam. Et postremis verbis clamans inquit, eam orationem fuiße suum testamentum, cùm sese ita comparaßet, ut pro vnitate Ecclesiæ vellet animam profundere. O virum ingentem, & fama dignum immortali, quænam tanta esse posset copia dicendi, ut te digne ornaret pro meritis operum tuorum? Tu perfugium calamitosorum, subsidium inopum, bonorum sustentaculum fuisti. Tu splendor Italiæ, decus nationum, ornamentũ Concilii, lumen seculi extitisti: Tu sanctißimum te omnium virtutum exemplar ostendisti. Quid reliquis agendum eßet exemplo tuo? Vitam præclaram morte reddidisti, eorum gloriam & laudem adeptus, qui quondam pro salute patriæ mortem subiere. Sic enim existimandum est P.C. continuis laboribus, vigiliis, quos nimios suscepit in ista Reipublicæ procuratione, & vltra quàm ferre possent ætatis suæ vires, hunc virum succubuiße. Ex quibus cùm in grauißimam incidißit morbum victus amicorum precibus delatus est ad balnea vix respirans. Vbi cum paululum recreatus videretur, non expectauit firmam valetudinem, rediit ad opificium suum, & labores consuetos. Nã tum flagitabatur ab omnibus reditus suus, tum scelus putabat se commissurũ, si vel paruo tempore deeßet publicis commodis. Itaq; rediit, & adeo inanis

B *virium,*

virium, ut opus esset, si quem ad locum proficisci vellet, aliarum manibus sustentari. Videbamus pallorem vultus, oris macilentiam, ac totius debilitatem corporis, non ut hominem velut simulacrum viuentis, & tanquam spirantis effigiem aspiciebamus. Mirabanturque in membris adeo infirmis tam firmam vigere mentem. Sed superabat animi vigor corporis imbecillitatem, & sibi pulcrum ducebat eo certamine oppetere, ex cuius victoria pax orbi terrarum parabatur. Itaque cùm vis morbi ingrauesceret in diem, nullam autem sibi requiem daret, nihil sibi parceret, nihil indulgeret, vigilando, consulendo, laborando, mole rerum, ac lassitudine confectus expirauit, atque ita expirauit, ut nequeam recordatione illius temporis, quo reddebat animam Creatori suo, lacrymas continere. Oculis ipsis & aspectu nos hortari, & lacrymis, quas plurimas fudit, commonefacere videbatur, ut instar sui causam publicam susciperemus. Quo tempore eum nemo vidit, quin vberrime fleret. O diem calamitosum, ò mæstitiæ plenum, quo tè amisimus FRANCISCE, *& qualem amisimus virum? Miserum me atque infelicem, quid agam? quid clamem, aut querar tali orbatus patre? Miseros etiam tuos omnes, ad quos deferretur tam crudelis nuncius mortis tuæ. Sed nos miseriores, qui aspectu ipso torquemur; luctu, & mœrore confecti. O flebilem fragilitatis humanæ conditionem. Tene amplius aspiciemus? Tene carissime Parens amplius videre, audire, alloqui non licebit? Tune a nobis tam subito eriperis? O rem mæstam, & acerbam intuebor. Intuebor saltem, dum adest, neque a te oculi amouebuntur mei, quoad illud extremum Vale dictum erit. Quid ego nunc vos detestor, mortem acerbam, & inexorabilem vim fatorum, quæ tam impias manus*

in tam pium Virum iniecistis? Vosne in tanta mole agendorum, in tanta expectatione rerum tam iniquo tempore tantum auxilium nobis eripere potuistis? Vosne decuit, nullorum hominum habere discrimen? Nonne satius fuerat, cùm tot nefarii, improbi, seditiosi (quorum magna semper est copia) in hoc Concilio versarentur, qui omnia permisceant, ac perturbent, nonne, inquam, hos omnes satius erat perditum ire, ex quorum interitu salus parabatur; quàm hunc virum priuari vita, ex cuius incolumitate salus omnis pendere videbatur? Sed omittam lamentationes, & fletum, non quidem nostra causa, quibus perpetuo dolendum erit, sed illius, quæ hoc exutus concreto corpore, & mortali, Cælitum fruitur concilio. Nam si ampla patuit semper virtuti ad cælum via, profecto animus sacer atque immortalis omni cultus virtute ad cælos euolauit, & in numero sedet beatorum. Nunc illud superest, ad quod aduertatis oportet P.C. ut quoniam Vir hic optimus in Republica, illa quidem vera appellatur dignitas, quæ confertur vltrò in hominem dignum, non quæ precibus aut pretio est emendicata. Hinc mirificam eius probitatem cognoscite. Solent hi sublimi honores, ac subitanei paulum inflare homines, & insolentiores reddere. Difficile est enim in rebus secundis ac magnæ licentiæ non egredi officii metas. Adeo quidam efferuntur, ut nedum alios, sed ne seipsos quidem satis cognoscant, priorum familiaritatum obliuiscuntur, nec comparant nouas, non qui ipsi sint respicientes, sed quid possint, non bonorum ac malorum, sed diuitum & pauperum discrimen habentes: ita priores mores exuunt, ut merito Circes pocula sumpsisse videantur. At vero FRANCISCVS ZABARELLA *noster longe abfuit ab istorum peruersitate. Nihil de anteriore consuetudine*

immutauit, nihil elatus est: conseruauit se integrum: humanitatem verò clementiam, ac liberalitatem etiam auxit. Nam quo plus poterat, eo diligentius incumbebat, ut quamplurimis ferret fructum. Tunc enim maxime bonitatem exercendam esse dicebat, cùm bene agendi potestatem haberemus, qua raò Principibus deesse soleret. Veteres amicos adeo dilexit, ut ne quorundam imutationi animum ipse suum mutaret, dicens Dignitatem auctam eße, non personam. Non in fastu, non in pompa, & ostentatione decorum dignitatis situm docebat; sed placabilitate animi, ac mansuetudine. Itaque is vnus erat maxime, ad quem docti homines, & Musarum amici sine fastidioso stomacho possent adire. Hic si vellem sigillatim discutere actiones suas, & labores, quos pertulit, tum pro multorum salute conseruanda, tum pro communi causa Christianorum, recensere, longa mihi esset habenda oratio. Illud præterea vereor, ne quo plura numerem illius benefacta, eo magis recrudescat dolor, qui & me impediat a dicendo, & Vos reddat in audiendo tardiores. Quamobrem pertransibo ea, quæ ad singulos spectant, & cùm alio festinet animus, ea solum percurram, quæ pertinent ad publicam causam: quæ licet vobis sint notissima, tamen absque ignorantiæ culpa nequeunt prætermitti. Nam simul cùm est factus Cardinalis, videns se in publici Concilii conuocationem delectum, omnem quoque meditationem suam in procuratione causæ publicæ collocauit: quod & multis in rebus antea ostendit, & tunc præsertim cùm ad diligendum locum pro præsenti Concilio missus est. Nam fuit in primis auctor huius loci statuendi, qui discordiis & dessensionibus fidelium fatalis esset futurus. Qua in re licet paulisper eum opinio sua fefellit, tamen non rerum euentu mittenda sunt consilia homi-

num

num sed ratione. Nam, ut Cicero dicere solebat. Recta sententia non inuicta quidem causa vituperanda est. *Ille tamen qua mente delegeret hunc locum postea designauit; cùm neque aperta odia multorum, neque quorumuis dissimultates extimesceret, quo minus institutum iter ad Ecclesiæ vnitatem prosequeretur. In quo vtinam nactus esset imitatores constantiæ suæ, non hic tamdiu hæsitaremus: sed loco constituto. Cum tempus præscriptum propinquaret, Pontifex autem partim dubitare videretur, partim tergiuersari, quæ cogitationes suæ fuerunt, quæ preces, quæ monitiones, cùm se solum huc venturum diceret, ne falleret promissam fidem. Quo postquam ventum est, quid ad hoc prætermissum? Quid non actum summa cum diligentia, ut hæ radices schismatum, quæ longius creuerant, funditus euellerentur? Nullum tempus ab hoc negotio sibi vacuum dedit, numquam destitit, numquam cessauit sollicitare, instare, exequi omnia, quæ essent ad pacem, & dissidia submouenda? Eius præsentia tantum in omni re valebat, ut nihil agi posse videretur, vbi ipse non esset, qui & celeriter res animo comprehendere, & faciliter posset consilio explicare. Itaque deputabatur fere ad singula, verbaque eius pro sententia habebantur. Illud verò summe laudatur, quod ea quæ multi variis ex causis dicere nescirent, solus hic apte loqueretur. Nemo enim liberius in hoc Concilio locutus est vmquam, nemo fidentius: Deum plus verebatur, quàm homines, animæ salutem corpori præferens. Huius tantum in rebus agendis valuit auctoritas, & solicitudo, ut, si verum fateri volumus, necesse sit potissimam partem exoptatissimæ vnionis, quam manibus ipsis iam tenemus, nos huic viro acceptam referre. Qui cùm hæc iam ampla iecisset fundamenta, perficiebat summo studio*

dio inceptum opus, atque id magna ex parte sua impensa absoluisset, si longior fuisset vita. At illum, cùm superioris partem egisset optime, in extremi actus, (ut boni Poetæ solent) perfectione laborantem fata interruperunt. Nec vero dubium est, quin si vixisset diutius, Summo Sacerdotio functus esset. Nã omnes, summi, infimi, mediocres, culmen illud Pontificium ad eum uno ore deferebant, illum maxime dignum asseuerantes, qui Ecclesiasticæ Reipublicæ gubernaculum teneret.

Exposui breuiter eius vitam tum bene institutam, tum exactam sanctissimè. Nunc ad reliquam partem, quæ mihi de virtutibus suis proposita erat, veniendum est: de quibus tamen parce, ac modice dicam. Nolo enim causam agere virtutum, sed ZABARELLAE *propriam bonitatem exponere, ut & honor debitus sibi reddatur, & reliqui ex hac virtutum suarum commemoratione incendantur ad gloriam. Harum cùm aliæ dicantur a sapientibus in agitatione mentis versari, & vere perspicacia; aliæ in actione: in omnibus* FRANCISCVS *facile tenuit principatum. Nam & sapientia, & prudentia fuit tanta, quanta huius seculi nemo fuit alter, ut omnem vitæ cursum ad honesti normam duxerit. Primum quidem omne doctrinarum genus, quibus ad scientiam peruenitur, indagauit, cognouit, percepit. Ut enim a Grammaticis non recedam, in quibus fuit peritissimus, Rhetorum præcepta summoperè didicit, tantamque adeptus est in dicendo facultatem, ut orator optimus haberetur, etiam ab his, quæ aures in ea re satis habent eruditas. Audistis enim persæpe illum verba facientem etiam ex tempore, quæ magna est in Oratore difficultas. Audistis non orationem, sed quasi fluuium quendam redundantem, tum verborum copia tum grauitate sententia-*

rum.

rum. Huic adiecit ornamenti gratia, & Poetarum, & Historicorum cognitionem, quos magis tenebat memoria, quàm hi, qui totam in illis ætatem consumunt. In Logica vero cùm multum operæ posuißet, contulit se ad Philosophiam, ex qua iuris disciplina, ut Ciceroni placet, haurienda est. Et cùm eam vniuersam percepit, tum eam partem maxime quæ pertinet ad mores, & qua boni efficiuntur viri, cuius institutis omnes actiones, & priuatas, & publicas accommodauit. Hinc vertit se ad Theologiam, in qua tantum studui posuit, ut doctissimis in ea viris compararetur. Reliquis artibus, quæ liberales dicuntur, tantum indulsit temporis, ut de his posset diserte copioseque loqui. Erat enim in ipso summa vis ingenii, memoria permagna, legendi vero tanta cura ac sollicitudo, ut quicquid ocii a publicis priuatisque negotiis superesset, id totum in lectionem conferret. Sed omnia mihi recte consideranti genera studiorum, nihil nobilius, nihil maius videretur ei tribui posse quam scientia iuris, & diuini, & humani, quæ præ ceteris tanquam peculiarem fundum excoluit atque ornauit. At quantum profuerit, tum singulis, tum vniuersis, qui delectantur legibus, præsertim Pontificiis, declarant commenta ipsius edita in eam facultatem adeo comprobata omnium consensu, vt non Interpres iuris sed tanquã Solon Conditor legum, ac Legislator fuisse videatur. Qua ex re vna immortalem sibi gloriam, & sempiternum nomen paratum videmus. Nihil præclarius excogitare potuit vir sapientissimus, nihil diuinius, quam nobis eius artis difficultates patefacere, quæ maxime salutares, & vsui mortalium essent necessariæ. Nam sic habetote P.C. certum esse, atque exploratum, omnem vitæ nostræ rationem actionemque legum scientia & disciplina contineri. Nulla societas hominum, nulla coniunctio, nulla

ciui-

ciuitas constare potest, nisi gubernetur legibus, quæ recte consueuerunt a sapientibus appellari moenia ciuitatum. Pulcrum est enim & gratum, & omnibus, ut refert M. Tullius, in ea scientia laborare, quæ sit multis profutura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Ipsarum quoque utilitatem ipse Tullius alio in loco maiorem in modum extollit. Inquit enim, Hoc est curriculum dignitatis, qua fruimur in Republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis: mens, & animus, & consilium, & sententia Ciuitatis posita est in legibus. Vt corpora nostra sine mente, sic Ciuitas sine lege, suis partibus, & neruis, & sanguine, & membris uti non potest. *Legum magistri Magistratus, Legum Interpretes Iudices, Legum denique serui omnes sumus, ut liberi esse posimus. Quorsum igitur hæc tam multa de legibus? Vt intelligant omnes, quantas gratias debeamus ei iure, qui ferme vitam omnem occupauit tum in docendis legibus, tum in earum obscuris atque ambiguis sensibus enucleandis. Neque tamen legum magis quam morum fuit magister, nec iuris obseruantior quàm æquitatis. Docuit autem quod potuit uiuens, & cùm cerneret uitæ tempus breue, ac incertum, rerum verò difficultatem permagnam, effecit, ut doctrinæ suæ extarent monumenta, quibus facilior pateret ad discendum uia.*

Dixi de studiis scientiæ, venio nunc ad eam, quæ una uirtus est in hominum societate maxime necessaria, Prudentia scilicet, quæ hunc maxime illustrauit. Quis enim in exquirendis consiliis acutior fuit, solertior in capiendis? Erat in eo usus, atque exercitatio rerum plurimarum incredibilis, multa tenebat præteritorum monumenta antecedentia connectens præsentibus. Quid in re dubia facto esset opus facile coniiciebat. Ne-

mo

mo ad eum consultor adiit (plures autem quotidie accedebant) quin sibi bene consultum putaret. Erat animus in consulendo liber, omni cupiditate atque perturbatione vacuus. Itaque tantam fuerat auctoritatem in eo consecutus, ut si forte errore aliquo (prout fert fragilitas nostra) paululum laberetur, tum proinde acciperent, ac si factum id esset summa cum ratione. Concepta erat opinio prudentiæ, longo tẽpore obstructa, ut omnia ab eo optimo atq; exquisito consilio, & dici, & fieri putarentur. Quare auscultabantur ipsius dicta tanquam oraculi cuiusdam omnia modo & ratione metientis. Iustitiæ verò virtutum omnium parentis, (vt eas quoque percurram, quæ positæ sunt in actione vitæ) amantissimus fuit, & seruantissimus. Nihil ab eo inique dictum reperitur, nihil inique factum. Vixit ad præscriptum rationis, nunquam deflexit mentem ab æquitate, nunquam progressus est longius, quàm honestas dictaret. Fidem semper inuiolatam seruauit neminem læsit vnquam, nullum afflixit iniuria, ne tunc quidem cùm esset lacessitus. Quiæ multos ab iniuriis tutatus est, quos honoris causa taceo, qui nisi his obstitisset, ingenti fuissent affecti calamitate. Hæc enim erat præcipue ipsius, & magna laus, ut nihil sibi antiquius existimaret, quàm oppressorum causam suscipere, & tueri. Quid loquor de liberalitate eius, ac beneficentia? Vereor ne quis sit iniquus probitatis iudex, quæ forte putet, me ostentandi ingenii causa hæc tam multa de FRANCISCI ZABARELLAE CARDINALIS *virtutibus dicere. Atque ita me Optimus amet Deus, ut vere & ex animi sententia loquor. Nihil simulatum profertur, nihil fictum: narrantur ista a me, & quidem debilius, quàm rerum maiestas, ac pondus requirat. Neque enim esset quicquam tam magnificum dictu, quin*

id virtus superasset sua; velut hæc ipsa, de qua loquor, libera litas maior erat, quàm a me explicari queat. Non solum fa miliaribus subuenit, & amicis, quos senserat premi egestate sed ignotos quoque subleuabat. Bona eius erant proposita om nibus, præsertim his, qui bonitatis spem aliquam præ se fere bant. Scio enim esse nonnullos ex his qui sunt, quos eius pe cunia, cùm eos admodum raro vidisset, munere iuvit. Eum quoque publicis honoribus decoremus, qui sint ad nomen po steritatis sempiternum. Et quoniam pompa funebris haber satis digna non potuit propter difficultatem temporum, dili gentior habenda est ratio monumenti. Curandum enim est si grati volumus existimari, ut sepulcrum ipsi ex publico ær ædificetur quam magnificum, in quo scribatur breuiarium gestorum eius, prout solitum est fieri his, qui pro patria occu-buissent. Superque imponenda esset sepulcro aurea statua more priscorum, cuius in basi esset inscriptum: PARENTI PATRIAE. Sed quia hic mos venit in desuetudinem, satis erit constitui sepulcrũ ornariq; ad modum maiorũ nostrorum cum in-scriptione honorifica, quæ sit ad honorem ipsius, & ad imitatio-nem posterorum. Nam quamuis ipse sibi viuus monumentum exstruxerit ære perennius, quod nulla vmquam disturbatura sit vetustas; tamen gratitudinis vestræ erit in virum de vobis bene meritum vestri iudicii memoriam extare, ut vna cum gloria sua vestri officii perpetuo sit fama coniuncta. Quod reliquum est Vos oro obtestorque Patres primum, ut illius virtutem imitari velitis in omni vita, quem tantopere com-probastis; deinde, ut eius memoriam vestris animis defixam conseruetis. Dixi.